

vivi prompta fluxilitas, subeundi in poros corporum facilitas, facillima rursus ab iisdem separabilitas &c. ut intellectus (eludunt enim sensum istæ minutiae) ipsis adtribuat particulas non solum actu solutas, nihil aut parum cohaerentes, atque insuper ejus figuræ, quâ unæ aliis haut valde implicari arctiusve cohaerere queant, sphaericæ v. g. aut cylindricæ saltem teretisve, instar vermiculorum lubricæ: Ex adverso, pinguium & oleosorum omnium facilior consistentia, promptior adhæsiō ac difficilis ex aliorum corporum textura, quæ semel illa imbibit, separatio &c. supponit necessariò ramosas magis hamatasve portiunculas, quæ uncis hamulisve suis tum sibi invicem, tum aliorum quoque corpusculis, implicari faciliùs & extricari postmodum difficiliùs valeant. Hoc verò semel posito, cum lubrica corpora juxta & supra se invicem prono lapsu excurrant & profluant, aspera & ramosa sibi mutuò impedimento sint; non sine ratione, puto, conclusimus: idèò argentum vivum & aquam in illa tubi angustia tam facile celeriterque sibi cedere, quod utriusque particulæ lubricæ sint & magis expolitæ; lac autem eundem Mercurium difficiliùs admittere, quòd inter ramosas suas particulas impeditior hujus fluxus necessariò contingat.

CONCLUSIO II. Cum porrò etiam aër, in se licet valde fluxus, per angustias quasdam, quas aqua promptè subit, ægriùs admittatur, ut in Auctariis Part. I. p. 82. ostendimus, & vesicarum bubularum exemplo sequi. Tentam. comprobabimus; prætereà verò comprimi aër valde & cogi in angustum possit, coactus autem & mox sibi ipsi relictus impetu magno iterum dissiliat &c. oportet profectò ut ejus quoque portiones insensibiles concipiantur solutæ quidem & laxis interstitiis instar plumularum volitantes magis quàm fluen-tes aut repentis super invicem, sed insimul tamen figuræ ramosioris & asperioris. Quo posito mirum non est, in aperto aëre, inclinato etiam tubo, difficiliùs elapsum esse lac, quòd ita facile sibi cedere non possint duo corpora aspera & ramosa,

Causa 2.
Phæn.